

tem, vel negantem, evidens est omnem propositionem esse vel universaliter affirmantem, vel universaliter negantem, vel particulariter affirmantem, vel particulariter negantem. Attamen prætermittendæ non sunt aliæ propositiones, quibus nullum quantitatis signum prefigitur, quas ideo propositiones indefinitas appellavimus. Verum quamvis tales propositiones non sint expresse universales, aut particulares, ad eas reduci facile possunt, iisque æquivalent. Etenim vel propositionis prædicatum est subjecto essentialie, ut homo est animal, tumque propositionio æquivalat universalis, & dicitur *necessaria*; vel prædicatum est aliquid mutabile respectu subjecti, ut homo est doctus, tumque propositionio particularis est, & dicitur *contingens*; aliquando tamen propositione indefinita eti contingens, æquivalere poterit universalis, si communis spectetur loquendi modus; ita propositiones istæ: Juvenes sunt inconstantes: Senes sunt queruli; accurate loquendo sunt particulares; quia tamen significant rem ut plurimum ita se habere, dicuntur vulgo *moraliter* universales, cum pro more & consuetudine hominum ut tales admitti soleant, licet exceptionem patiantur.

Quatuor explicata propositionum genera in scholis designari solent quatuor vocalibus *A*, *E*, *I*, *O*; & quidem *A*, denotat propositionem universalem affirmantem; *E* universalem negantem; *I* particularem affirmantem; *O* particularem negantem. Ut autem harum litterarum significatio memoria facilius retineatur, duobus sequentibus versiculis exprimi solet: Afferit *A*, negat *E*, verum generaliter ambo: Afferit *I*, negat *O*, sed particulariter ambo.

VI. Probe considerari debet propositionum affirmantium & negantium natura. In prædicato quolibet distingui possunt *Comprehensio* & *Extensio*. Comprehensio appellatur id omne, quod comprehenditur in notione prædicati. Extensio autem vocantur subjecta illa, quibus idem prædicatum convenit. Jam vero ea est propositionis affirmantis natura, ut prædicatum conjungat cum subjecto, non quidem quoad omnem prædicati extensionem, sed tantum quoad omnem ejus comprehensionem; hoc est, omne id quod com-

pre-